

P. m. 254

W. Hermanns, D.

Abt 2j - 87

7

Animal miserabile Homo!

Nascimur in luctu, vivimus in labore, morimur in dolore
Nazianzen. Casp. Finck. Postill. part. 2. fol. 418. Quid
ideò superbis Homo, cum sis cadaver putidum, esca vermi-
um, vas foetidum, cibus ignium, abyssus tenebrosa, terra misera,
filius iræ, vas aptum in contumeliam, genitus per immunditiam,
vivens in miseria, moriturus in angustiâ. Augustin. in soliloq.
c. 12. Joh. V Wagneri deid. predigt. ex 2. Cor. 5.

v. 1. lit. E. I.

*Hac secum perpendens inter tristes categoriarum
vultus concepit.*

M. SEVERUS SHULTETUS, Megapolitanus
Conc. Exul. SS. Th. Cddr.

Damasus in Elegi. Cruc.

Lusimus in teneris Venerem lascivius annis
Lusimus unguentum, pocula, serra, jocos
Crinis inest canus capiti: Ver fluxit & æstas
Præstat in autumnno carpere poma senem.

Oën.

*Transcendit Genus omne Bonum, nullisq; tenetur
Finibus; est igitur nullus in orbe bonus.*

ANNO.

PessVnDa JoVa potens In hls terris eos, qVI benignas porrigere
ManVs plls reCVsant, fortVnate VIVant & benè slet
hls, paVperes & egenos qVI non spernVnt,
hos æterna bea Vltra, hls &
benè slet,



Sumptibus Authoris, Typis Okelij Qvedlæ

VIRIS

Reverenda Dignitatis splendore, Summæ pietatis fervore,
maximæq; doctrina decore Conspicuis, & perquam Reverendus Do-
minis Pastoribus, & V. D. Ministris dignissimis, vigilantissimis, me-
ritissimisq; Mæcenatibus ac Evergatis meis Inogè pretiosis-
simis, etatè colendis,

DNO. JOHANNI FRIDERICO CÖLERO, P. in
Thalenwarsleben.

DNO. MATTHIÆ Wahrenholz/ P. in Macro agro.

DNO. MATTHIÆ Schröder/ P. in Heimstorff.

DNO. JOHANNI VVALTERO P. in Zyrleben/ asse-
vero te esse valdè humanum, haut spero imperium
tuum esse dispartitum.

DNO. JOACHIMO PRÆTORIO, P. in Drackensfede

DNO. HENRICO Pincern/ P. in Minori Oscherslebè.

DNO. JOHANNI Züterbock/ P. Hadmerslebiensi.

DNO. FRANCISCO BEILI, P. Eickenbarl.

DNO. SEBASTIANO Rötger/ P. in Minori Gera-
mersleben.

DNO. LAURENTIO ZIMMERMANNNO, P. in Glin-
da & Ramiest, humanum te voco, det Deus & mihi,
ut te videam.

DNO. CAROLO 9LIO, P. in Schora, quem nunquam
vidi, tamen ob sinceritatem, quam multi de præ-
dicant, semper Te dilexi.

*Si boni, ut minimè diffido, estis; bonâ mente hæc tenuia accipietis, ex ani-
mò meò pondus habet, lectis digniora in vestrum honorem emittam
& majora, favete interim meis Musis.*

Vobis & singulis hæc

D. D. C.

brevi plura videbitis

M. SEVERUS SCHULTETUS.



Animal miserabile Homo.

i. e.



Hominem ideò cum dixeris, omnes miseri-
as dixeris refert Plin. l. VII. *Ad hoc au-
tem sacramentum adacti sumus, perdoctè dis-
serit Romanus sapiens, ferre mortalia, & iis
non reluctari, quæ non sunt in nostrâ potestate,
DEO parere libertas est, in regno rati sumus.
Memor sies hujus. Quod mihi fors hodie,
cras tibi ferre potest. Ludimur fortunæ volueri impetu, quic-
quid est, statur casibus, nihil est æternum, sibi evius in Lyric,
Nemo dicat hoc mihi non continger, Nescimus, quid serus
vesper ferat,*

Miseros nos, si angustis, nec tutis unquam humana felicitas, malè pressa cancellis in spatiosum semper malorum æquor erumpat? Miseros nos, si malam fortuna bona, semper trahat appendicem? sed nempè eò recedimus, undè nascimur. Cum majorum sanguine etiam morbos trahimus & dolores. Parentum infelicitas filiorum est hæreditas. Non potest regna legare & imperia, qui tributariam habet egestatem, non potest ærumnarum parens hæredes scribere deliciarum. Revolvamus eò cogitationem, unde ipsi nascentis mundi incunabulis sumus evoluti. Paradisum primam Zephyrorum sedem, veris Metropolitim, Etesiarum Aulam, Gratiarum penetrabile, Divinitatis suburbanum, amœnam quæ illam ridentis mundi voluptatem, quàm ad Cœlorum cœtipon delineavit natura; Divinæ liberalitatis munere Majores nostri possederunt, accedebant tributarij gemmantes terrarum colores, aquarum bellè cadentium percussiones, arborum affi-
nitates,

nitates, adoptiones stirpium, florum connubia, lepores omnes,
 Charitesq; quas ad cumulatisimæ voluptatis apparatus avarus
 gaudiorum animus vel sibi imaginatu fingere potuisset
 vel appetitu desiderare. Sed nulla longi nominis felicitas!
 Oppugnantur Aquilonibus Zephyri, tumultantur in noctem
 dies, defunctam Cœli serenitatem pluvix nubes collachryman-
 tur. Juventutis gaudia cadunt in senectutis moerorem: Au-
 tumni felicitas, infelices præcipitat Decembres: Oriuntur so-
 les & occidunt: Exit gaudium, quod intravit. Nec dum om-
 nes degustâvere delicias parentes nostri: & Zephyros Aкви-
 lo, Etesias Boreæ, Ver Hyemes, gratias paræ, suburbanum
 sentes, amœnitatem spinæ invadunt. Uno morsu & degusta-
 ta præmordetur felicitas. Maledicta terra in opere suo, spinas
 & tribulos germinavit, patrisamus & derivatione sanguinis &
 fortunæ iniquitate. Expellimur à superioris anni melle ad fel,
 à thymo ad absinthium, à serenô in nubilum, à die in noctem,
 à rosetis in spineta, à delicijs in vepreta, à pratis in dumeta,
 ab hortis Paradisiacis in sylvescentē tyrannidem tribulorum.
Hominem ideò cum dixeris, omnes ferè miseras dixeris, refert. Plin.
l. VII, Quam varia sit vitæ humanæ commutabilisq; ra-
tio, non tantum omnis ævi scriptores luculenter docuerunt,
sed cujuscunq; etiam ordinis & conditionis hominem, qui
paulò longius ætatis spatium produxerit, non ignorare ne-
cesse est. Quotusquisq; enim nostrum aut faventes habuit
sibi Divos, aut tam solerter vitæ cursum moderari potuit,
cujus non ex transversò incurrens fortuna, statum contur-
baret, cujus non honestissimis conatibus sæpè obstaret, cujus
non optima cogitata pessimè sæpè muldaret. Vita hominum
(ait Montaltius) qui aetatem in medio rerum agunt ac sibi suisq;
usus esse volunt, negotia periculaq; assidua & propè quotidiana fert.
 Ac venit usu si non plerisq; & multis certè mortalium, ut vitæ
 propagatione calamitates hauriant, & plures & graviores, ut
 valdè verisimile sit, quod ait Callimachus apud Cicer. *Mulidò*
sæpi

sapientia lachrymose priamum quam Troilum. Itaq; cum homines nos esse meminisse merito debeamus, eâ lege nos natos ut omnibus fortunæ telis proposita sit vita nostra, neq; recusandum sit, quò minus ea, quâ nati sumus, conditione vivamus, tamen nescio, qui fiat ut sui quemq; suæq; sortis facile poeniteat. Quo enim tempore inventi non sunt, qui non melius secum actum iri vanâ sæpè cogitatione sibi persuaderent, si aliam vivendi conditionem secuti essent, quiq; bonis seculi sui citrà quærimoniam, invidiam, aut obrektionem alterius non uterentur; Atq; id sanè apparet, non in iis tantum, qui ante implicantur aliquò certo genere, cursuq; vivendi, quam potuerunt, quid optimum esset, judicatis. Sed in iis etiam, quorum à voluntate proficiscitur, quam personam agere velint, quum ad ætatis & judicij maturitatem jam pervenerint. *Aliena nobis, nostra plus alijs placent.* Sic est. *Optat ephibbtabos arare Caballus.* Nemo qui suâ sorte est contentus. Quin etiam quod preclarè non minus, quam sapienter docet Historiæ pater Herodotus, si omnes omninò homines domestica mala in medium conculissent, ac optione cum alienis mutandi datâ, viciorum incommoda intulissent, libenter reportaturi essent, singulicæ quæ ipsi attulissent. Jam cum illâ rerum humanarum conditione, quæ nullam vitæ nostræ partem curis & molestiis vacuam esse sinit, & si quid illa suavitatis habet, perpetuâ rerum incommodarum contemperat miseriam. Sicut aranea mittit fila & huc illucq; discurrit & texit totâ die, & labor quidem grandis est, sed effectus nullus est, Sic & vita hominum huc illucq; discurrit, procreamus filios, laboramus, in regna sustolimur, & omnia facimus, & non intelligimus, quia araneæ telam teximus. Hieronymus diserte refert, Olim pulchrè quidam philosophabantur de perfectione, & illâ consequendâ. *Perfectionem, imperfectâ Charitate consistere, perfectæ Charitatis quatuor esse munera. Primò, maximum pavere sui contemptum: Secundo, impellere ad omnimodam sui abnegationem:*

Tertiò,

Tertiò, reddere hominem ad omnia indifferentem, quæ illi accidunt, & à divinâ providentiâ immittuntur, *Quartò*, voluntatem nostram ita cum beneplacito Dei unire, & vi amoris, unus cum illo fiat Spiritus. Ad consequendam hanc perfectionem triplici viâ incedendum esse asseriebant. *Purgativâ, Illuminativâ, & unitivâ.* Informatio de Vitâ Christiana. Nam sapientia mundi Virgo stulta est, quia non est juncta atq; subiecta legi atq; sapientiæ Dei, & lucerna ejus facilè extinguitur, quia non habet oleum veritatis, vacua Spiritus Sancti, Paulin. Epistol. 26. sapientia verò Christiana Virgo prudens est! Matth. XXV. v. 1.

Hinc Dominus ardentes ferre lucernas

Admonet: hoc opus est; hæc clara gloria vita!

Alcimus Avitus ad Eusebium. soror. ex Luc. XII. 35. Matth. V. v. 16.

Hujus piæ vitæ proponit nobis Apostolus, Tit. II. v. II. Fundamenta, 2. incitamenta, Fundamenta, dum ostendit Fugienda, Facienda. Fugienda sunt I. Impietas, cujus duplex est soboles *πολυθεότης* quæ multos colit Deos, & *ἀθεότης*, quæ nullum. Utrumq; monstrum Hydra quasi Lernea & multiceps excetra est, quæ cum Filius Dei clavâ verbi sui obriverit, velut Hercules, cavendum nobis est, ne capita alia succrescant. Licet enim quædam plerumq; de inanibus fabulis, ut de Vulgaribus aliqua proverbij, in usum veri ac serij sermonis assumere ait. Paulin. Epist. 38. Dolendum profectò & hanc & illam etiam in Christi regno grassari. Unum Deum ore profiteremur, corde multis adhaeremus, alij Bacho, alij Veneri, alij Luerio, nam avaritia Idolorum servitus est, alij, alijs. Tot enim Idola sunt, quot spei fiduciæ Timoris & honoris nostri extra Deum fundi. Quid Atheismus? Una inter omnes religiones religio nulla. Hoc elamat contemptus ille Dei & omnium factorum vulgatissimus, hoc tot blasphemix in Deum & divina oracula contortæ. qui rectissimam pietatis semitam instituisse videntur, claudicant. 1. Reg. XIX. v. 21. *DEO in aperto operantur, impietati in aperto.* Væ duplici corde! qui de


de suo partem faciunt Deo, & partem faciunt Diabolo! Iratus enim Deus; quia ibi sit pars Diabolo, discedit, & totum Diabolo linquit, exclamat Augustin. Tota igitur abneganda est impietas. Non debet ager unus diversis semine conseri. Deuteron. XXII. v. 9. *Digeneres sunt aquila, quae pedem unum anserinum habent, & in aquis natant.* Matth. XXIV. v. 28. Colos. III. v. 1. *Non possunt esse servati Deus Israelis & Dagon Philisteorum* I. Sam. V. v. 2. Matth. VI. v. 24. II. Timot. II. v. 19. Ne nimis excurram, brevis ero. *Totus ferè mundus, petron. videtur, Mimimum implere & exercere histroniam.* in Satyr. Nihil verius, si pseudo. Christianos nostros adspexeris. Legem legimus & legitima calcamus: *Deum colere nos dicimus, & Diabolo optempnamus.* Salvian. l. 5. d. Gubernat. Dei. *Lucere debebamus ut luminaria in Mundo,* Philip. 2. 15. Nempe vitâ, conversatione, moribus. Ratio ipsa dicat, quod non faciat philosophum pera & pallium, nec Isiacum linea vestis & rasura Plutarch. d. Iside ac Osyr. *Et Christianum faciat sola nominis extrinsecus superficies.* Quid multa, incidimus in extrema temporum, 2. Tim. III. v. 1. 2. & seq. instemus *ἐν κἀπῶς ἀκρίβως* clamemus, non sufficere Christiano, si partem unam justitiæ impleat, cui utrumq; præcipitur. Paulin. ad Celantiam. Ecce dicamus! *Tu Christianus diceris, & in Deo gloriaris, fac idè, quæ ab eo sunt præcepta: qui igitur docet alium & non seipsum!* Rom. II. v. 20. Facinus horrendum! propter te blasphematur nomen Dei. His enim, temporibus, quibus sincera Charitas, quam ex ultimò Servatoris præcepto alijs debemus & sine qua adeò nihil iuvat fides, ut etiam in cumulum cedat damnationis, non tantum passim refrixit, sed planè extincta procumbit, & è contrario avaritia, iniquitas harum pedisse quæ fraudes, versutia & artes veteratoriarum invaluerunt. Certè si quis veterum evolvat annales & conferat horum mores, fatebitur, nunquam supra adulteria vel latius patuisse, vel impunitius perpetrata, vel minus in probro fuisse, quam hoc ipso, in quod nostra ætas incidit seculo. Cupiditas ista in territorio vitiorum *metropolis* est, quod


quod de avaritia dixit Bias: *Φυλακὴ τῆς κακίας μητρόπολις.* Hac
 occupatâ dedent se cætera omnia. Dux est in conflictu infero-
 rum. Totam autem belli causam finivit, qui authorem pug-
 næ superavit: instruamus ergò virtutum acies adversus para-
 tas scelerum legiones, sed ante omnia adversus ipsam, quæ ca-
 put est belli, hoc est, cupiditatem pugnemus: Ita non diffi-
 cilis erit de illa, quam diximus, vitiorum labe, victoria, matre
 captivâ, ait s. Valerian. homil. XX. De his plura brevi videbis,
 intereâ fave musis, & opem ferre haut detrectes egenis. *Ad
 exemplum vestrum se Deus componet, qualem modum monstrave-
 ritis ei, talem & ille sequetur.* Dabitur & dabitur Vobis. *Gra-
 tiam auctis, hanc & alius abs te impetret, misericordiam tibi po-
 stulas, istam & alteri non nega, Gratiam pro gratiâ, misericordi-
 am pro misericordia, consequemur, Væ idè immisericordi quia
 absq; misericordia judicabitur DEI.*

Interpretatio Psalmi CXXXIII. De commendatione
 Concordiæ jambicis Dimetris.

<p> Quid dulcius concordia, Quid pace suavius bona, Quâ litteræ & cultus Dei, Quâ jura florent civium. Quid tetrius discordia, Quid Marte calamitosius: Quò charitas & sanctitas, Quo literæ & leges jacent. Qualis liquentis balsami Fragrans odor diffunditur A capite Aâronis sacrò Fluens in oras vestium, Talem voluptatem piis, Pax alma mentibus feret, Ex Christiano mutui, Profecta amoris vinculo, </p>	<p> Sicut vapor per humidam, Noctem coactus lucidis, Alti Sionis pascua, Foecunda guttis irrigat. Sic vera quas tranquillitas, Domos & urbes incolit; Illæ Dei clementia Bonis abundant omnibus. Quare pater sanctissime, In tam nefandis motibus Belli, tuo nobis opem Adfer benignus numine. Fulgore sancti spiritus Nostras tenebras dissipa, Ut pro tumultû candida Pax omnibus regnet locis, </p>
---	---

F I N I S.





Animal miserabile Homo!

Nascimur in luctu, vivimus in labore, morimur in dolore
 Nazianzen. Casp. Finck. Postill. part. 2. fol. 418. Quid
 ideò superbis Homo, cum sis cadaver putidum, esca vermi-
 um, vas foetidum, cibus ignium, abyssus tenebrosa, terra misera,
 filius iræ, vas aptum in contumeliam, genitus per immunditiam,
 vivens in miseria, moriturus in angustiâ. Augustin. in soliloq.
 c. 12. Joh. VVagneri deid. predigt. ex 2. Cor. 5.

v. 1. lit. E. I.

*Hac secum perpendens inter tristes categoriarum
 vultus concipit.*

M. SEVERUS SHULTETUS, Megapolitanus
 Conc. Exul. SS. Th. Cddr.

Damasus in Elegi. Cruc.

Lusimus in teneris Venerem lascivius annis
 Lusimus unguentum, pocula, serra, jocos
 Crinis inest canus capiti: Ver fluxit & æstas
 Præstat in autumno carpere poma senem!

Oën.

*Transcendit Genus omne Bonum, nullisq; tenetur
 Finibus; est igitur nullus in orbe bonus.*

ANNO

PessVnDa JoVa potens In hls terris eos, qVI benignas porrigere
 ManVs plls reCVsant, fortVnate VIVant & benè slet
 hls, paVperes & egenos qVI non spernVnt,
 hos æterna bea Vita, hls &
 benè slet.

Sumptibus Authoris, Typis Okelij Qvedlæt

1679

